

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Die letzte aktenmäßige Verketzerungsgeschichte unter
der Regierung des Herrn Fürstbischoffes von Speier
August Grafen von Limburg-Stirum**

Brunner, Philipp Joseph

Germanien [i.e. Linz], 1802

Beilage II.

[urn:nbn:de:bsz:31-310658](#)

Beilage II.

Responsum Facultatis theologicæ Dillinganæ in causa
Dni Canonici Gærtler.

Cum nuper primum summa eorum, quæ causam D. Canonici, & Prædicatoris Gærtler seu complectuntur, seu exponunt, & declarant, & quidem 9. Aprilis, utrique Professori dogmaticæ communicata fuerit; nemini obscurum esse potest, cur responso utriusque ad propositas quæstiones tamdiu retardata fuerit.

Ea quoque de causa summa, qua fieri poterit brevitate nostra desuper sensa exponemus, nihil tamen prætermissuri eorum, quæ ad dijudicandam præsentem controversiam quomodo cunque pertinebunt.

Nota est Celsissimo Principi causa, de qua agitur, nota est series facti, de quo disputatur, ut proinde a recensione illius consulto abstineamus.

Hæc autem causa, hoc factum cum omnibus circumstantiis, quæ illud comitantur, tres, non plures quæstiones parit, cetera enim conjectaria sunt, quæ pro distinctis & separatis quæstionibus haberi non debent, cum a discussione, & judicio harum trium, tanquam suo fundamento dependeant. Atque idcirco mirum cuique videri debet, cur quæstiones fine

fine causa multiplicatæ fuerint, & ita magna huic controversiæ obscuritas parta sit.

Tres autem quæstiones, de quibus modo supra dixi, in eo versantur,

1. An Epistola Gærtleriana ad Parochum Brunner in Tieffenbach scripta, ab Authore illius recte judicatur in sensu ironico, aut satyrico scripta fuisse, vel potius recte contrarium afferitur?

2. Si in sensu ironico scripta non fuit, quam censuram meretur tenor Epistolæ, & quam penam auctor illius?

3. An etiam in causa fidei, & in casu, ubi de poena propter hæresin, aut fundatam suspicionem hæresis infligenda agitur, primum summarium examen ad Equestre capitulum Odenheimense pertineat; vel utrum capitulum pro tali casu exclusum sit?

Ex ipso autem argumento quæstionum apparet, secundam a prima velut suo fundamento, & tertiam pro hoc casu singulari a secunda & prima dependere; ceteræ autem quæstiones quasi totidem corollaria sunt, quarum decisio, ex decisione harum trium natura consequitur.

Itaque prima, & principalis quæstio est hæc:

An Epistola Gærtleriana recte judicatur in sensu ironico scripta fuisse vel potius contrarium bene afferitur?

Ad hanc autem quæstionem respondeo;
Epistola Gærtleriana recte judicatur in sensu ironico

nico scripta fuisse; atque hujus responsionis momenta sunt ea, quæ sequuntur: nam

1. potest, &
2. debet in sensu ironico accipi.

Potest; is est quippe tenor Epistolæ, ut verba secundum se considerata, nulla habita ratione auctoris, quemadmodum animus, & sensa illius ex aliis documentis constare dicuntur, cum ironia, cum satyra, cum illumione recte componantur; aut quæ sunt ea, quæ in ipsa epistola, sive in verbis epistolæ occurrunt, atque sua significatione comonstrant, tenorem Epistolæ in sensu ironico accipi non posse?

Itaque unice ex documentis ab Epistola diversis constare deberet, Auctorem illius eadem sensa fovere quæ verba Epistolæ præferebunt, si in sensu ironico non accipientur, id est, *aliunde*, sive *ex aliis documentis* notum, perspectumque esse deberet, auctorem Epistolæ de divinitate Jesu Christi cum Socinianis, proin pessime sentire, atque idcirco per summam impietatem exoptasie, ut Auctores Liturgicarum collationum Francofordensium hanc præcipuum veritatem Christianæ religionis de divinitate Jesu Christi aggrediantur, impugnant, lacestant.

Sicut autem spectato tenore Epistolæ, sensus ironicus acceptari potest, ita similiter spectatis documentis ab hac Epistola diversis.

Hæc diversa documenta, unde constare deberet animus scriptoris, sunt

o. Litteræ comendatizæ sive dimissoriales, ad transitum ex Archidiœcesi Moguntina in diœce-

cecesin Spirensem, quæ occurrunt in adj. sub L. B.

b. Commercium litterarum, & amicitia auctoris cum Parocho Brunner in Tieffenbach ex qua creditur scriptor illius etiam in opinioribus, & erroribus cum Brunnero concordare; qui satis superque videntur intelligi ex quadam epistola Brunneri data ad Professorem Nimir, & relata in adj. sub L. C.

At enim hæc documenta ita comparata non sunt, ut idcirco epistola Gærtieri in sensu ironico accipi non possit; neque enim

a. Litteræ dimissoriales quidpiam complectuntur, unde prudenter conjici possit ad errores hujus viri circa fidem, & præcipue ad hunc capitalem errorem circa divinitatem J. C. sed potius de quibusdam externis actionibus loquuntur, quæ utpote leves minus gravitati ecclesiasticorum virorum convenient. Præterea illæ varia actiones, in quibus Gærtlerus se levem exhibuit, profecto spectare non poterant perversam doctrinam, perversa dogmata, quæ coleret, cum iis seu detectis, seu etiam solum graviter præsumptis Vicariatus Moguntinus virum adeo periculosum a parochiali, & decanali officio non solum amovere potuisset, verum etiam debuisset.

Sed enim quid multis opus est, de memoratis litteris dimissorialibus dicere. Præterquam enim, quod prope secum pugnant, sibi contradicant, etiam ea de causa nullum valorem, nullum pretium habent, quod per posteriores in consueta forma exaratas, revocatae, & ita saltē tacite pro falsis, & commenti-

mentitiis litteris declaratae fuerint. Itaque ad eas appellare idem est, ac ad testimonium provocare, quod testis ipsem̄ declaravit falsum testimonium esse.

b. Tam parum, aut forte etiam minus probat commercium Litterarum, quod inter Canonicum Gærtlerum, & Parochum Brunner intercessit, tenorem Epistolæ in sensu ironico accipi non posse. Ecce rationes, quas non sine causa gravissimas esse dixeris

1. Commercium litterarum, quemadmodum illud ex epistola Gærtleri intelligitur, non probat arctiorem, sive interiorem quamdam amicitiam inter Gærtlerum, & Brunnerum, ex qua prudenter conjici posset — & tamen solum conjectura esset — Gærtlerum pares opiniones, paria sensa, pares errores sovissi, de quibus Brunnerus occasione epistolæ ad Moguntinum Professorem datæ accusatur: amicus enim ad amicum titulis, & ceremoniis non utitur, quos in Epistola Gærtleri observamus v. g. Eur. Hochwürden — Ergebenster Diener ic. ic. si quædam arctior amicitia inter utrumque confirmata fuisset

2. Sola amicitia, si etiam concedatur ea inter hunc geminum virum, stabilita fuisse, nequaquam probat, imo ne gravem quidem suspicionem præbet, amicorum sensa, opiniones, errores esse pares. Quamquam enim permulta amicis communia sunt, opiniones tamen, sensa, dogmata communia non sunt, eo quod amicitiae aliud longe fundamentum esse debeat. Atque ea de causa etiam inter optimos amicos persæpe maximam opinandi, sentiendi, diversitatem observamus; ut proin amicitia

citia nullum argumentum præbeat ab erroribus
unius ad errores alterius concludendi.

3. Præterea si quoque statuatur, sensa, &
dogmata Brunneri, fuisse sensa, & dogmata
Gærtleri, neendum tamen ad illum prægrandem
errorem, ad illam impiam sententiam solida —
probata — conjectura concludi poffet, cujus
Gærtlerus accusatur, aut cujus faltem suspicio
in eum devolvenda eſſet; ad illum, inquam,
prægrandem errorem negatæ divinitatis J. C.
Ut enim Gærtlerus ſic probatæ ſuspicionis hac
in cauſa reus accusari poffit, & quidem propter
arctiorem amicitiam cum Brunnero; ex qua
amicitia concludendum foret, eadem utriusque
ſensa eſſe; tunc epiftola Brunneri ad Profefſo-
rem Nimis exarata deberet vel verbis expref-
ſis negare div. J. C. vel faltem ejusmodi verbis
concepta conſtructa eſſe, ex quibus negata di-
vinitas ſua ſponte conſequitur, vel tam ambi-
guis, ut eodem jure concludi poffit ad ſenſum
negatæ, ſicut aſſertæ divinitatis. At enim ni-
hil tale in commemorata Epiftola Brunneri oc-
currit, non expreſſa verba, quibus divinitas
Jefu Christi negatur, non verba, & propoſi-
tiones, ex quibus ſua ſponte conſequitur, di-
vinitatem J. C. impugnari; non denique am-
bigua verba, ex quibus eodem modo ad ſenſum
negatæ ſicut aſſertæ divinitatis J. C. con-
cluditur: quippe nulla ibi mentio fit hujus
dogmatis, neque vel unica propositio refertur,
unde negata divinitas jure colligitur. Aut forte
Brunnerus, quia de viris loquitur, tanquam
ſuis ſive tuarum partium, quos novitatis gra-
vat ſuspicio, vel quia de gallica conſtitutione
loquitur, vel quia prodiſ confiſſum restau-
randi

randi Illuminatismi, jure suspicionem negatæ divinitatis Jesu Christi contraxerit? At enim hæc omnia quam levia sunt, & prope ridicula pro ea, de qua agitur, causa. Quippe de illis ipsis viris, quos velut suos laudat Brunnerus, ante omnia constare deberet, quod universum divinitatem J. C. aperte inficiati fuerint, id quod certe non ex Epistola Brunneri, & forte tam parum quoque ex aliis documentis probari potest.

Mentio gallicae constitutionis ad summum politicam hæresim, aut potius proclivitatem in eam, non religiosam hæresim sapit*).

Denique consilium restaurandi Illuminatissimum, aut pressius, instituendi quamdam occultam societatem, cuius ope Illuminatismus denuo restaurari posset, gravem contra Brunnerum suspicionem non parit, quasi Divinitatem Jesu Christi negasset: talis enim suspicio tunc primum nasci posset, si Brunnerus præcipua capita doctrinæ, quæ a nova societate collenda, & occulte propaganda foret, in sua epistola exposuisset, atque ex illis capitibus necessario nexu consequeretur, similiter ab iis negari

* Hr. Pfarrer Brunner spricht offenbar, laut dem Datum seines Briefes, von der ersten franzöf. Konstitution, die der unglückliche König Ludwig XVI. beschworen, und somit sanktionirt, die auch die ganze vernünftige Welt, in der Hauptsache, belobt hatte, und die jetzt, wenn sie bestünde, alle Welt beloben würde. S. Genz über den politischen Zustand vor und nach der franzöf. Revolution, 1. Heft.

negari divinitatem debere, qui ejusmodi principia colant. At enim Brunnerus ne unum quidem præcipuum caput illius doctrinæ expōnit, quam nova societas propagare deberet. Præterea Illuminatismum a ne 1 societate promovendum caute distinguit Brunnerus, ab eo, qui aliquando fuit, & forte adhuc est, & cuius principia, & dogmata dicuntur deterrima, atque Ecclesiæ & civitati, religioni, & bonis moribus adversa fuisse, ut proin a principiis, & doctrina anterioris Illuminatismi ad doctrinam & principia restaurandi Illuminatismi nulla valeat conclusio.

Itaque si etiam statuatur

1. Gærtlerum fuisse amicum Brunneri,

2. Gærtlerum eadem sensa, easdem opiniones cum suo amico fuisse — quod utrumque tamen nulla sufficienti ratione probari potest — nondum tamen concludi posset, Gærtlerum impie de divinitate Jesu Christi sensisse, quia probari non potest, Brunnerum, amicum Gærtleri, hanc impiam doctrinam sustinuisse *).

Itaque, ut jam pro prima parte nostræ Probationis concludamus, neque

I. ex

*) Hr. Pfarrer Brunner war hierüber nicht einmal bei seinem Bischoffe oder Vikariate im Verdachte; denn er wurde bei seiner Inquisition, die sich über den ganzen Umsang der katholischen Orthodoxie, und bis auf die kleinsten Kleinigkeiten erstreckte, über den wichtigsten Punkt von der Gottheit Jesu gar nicht inquirirt.

1. ex verbis Epistolæ, neque

2. ex Litteris dimissorialibus, neque

3. ex commercio Litterarum quod inter
Gærtlerum, & Brunnerum intercessit, intelli-
gitur, epistolam Gærtlerianam in sensu ironico
accipi non posse:

Ergo in sensu ironico accipi potest.

II. *In sensu ironico-satyrico accipi debet.*

Ecce: rationes, quæ veritatem hujus se-
undi membra quam præclarissime probant:

1. Lex rationis, & Evangelii nos jubent
epistolam in sensu ironico acceptare, quia ita
persuadent sensum ironicum; id enim vox ra-
tionis clamat, id spiritus Evangelii secum fert,
ut neminem judicemus malum, atque, pro
hoc singulare casu, amicum perversæ doctrinæ,
nisi id ipsum ex manifestis argumentis appa-
reat, atque idcirco Evangelium graviter pro-
hibet omne temerarium judicium, id est, judi-
cium levibus solummodo rationibus innixum,
quo quis etiam interne judicat, occulto judi-
cio, alium hominem malum esse. Atque cum
doctrina Evangelii vox rationis quam perfe-
ctissime concordat. Itaque si Epistola Gært-
leri in sensu ironico accipi potest, etiam in
sensu ironico juxta legem rationis & Evan-
gelii accipi debet.

2. Cum Lege rationis & Evangelii huma-
næ leges tam sacrae, quam profanæ plenissime
consentient. Sic, ut perpaucis rem omnem
definiamus, Regula secunda Juris Canonici hanc
in interpretatione verborum legem præscribit,
ut

ut facta, quæ, dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretetur. Hanc regulam Juris ita exponit Franc. Xav. Zech in Præcog. J. C. Tit 21. de verb. Signif. §. 420. Reg. 3. Verba eo sunt interpretanda modo, — — ut excludatur delictum. Quocum consentit Pichlerus Liber 5. de verb. Sign. N. 3. ita enim scribit: *Si verba aliquo modo sunt dubia & ambigua, ita sunt interpretanda, ut evitetur iniq[ue]itas, peccatum.* Quæ una est, eademque omnium p[ro]ene interpretum utriusque Juris sententia. Neque illud obest, quod plerumque addere solent, *verba potius contra proferentem, quam pro illo sumenda esse;* hoc enim unice ad Leges, & contractus pertinet, exclusis ceteris factis, & præcipue actibus judicialibus. Sic autem leges utriusque humani Juris præscribunt, ut in præfenti causa verba commemoratae Epistolæ in sensu ironico accipiamus, quia sic accipi possunt, & quia sic accepta, peccatum, iniq[ue]itatem scriptoris excludunt.

3. In ipsa epistola, quædam verba occur-
runt, quæ satis graviter probant, scriptorem
illius auctoribus collationum Francofordensium
illudere voluisse, atque idcirco ironice scripsisse.
Hæc verba sunt: die helle Begriffe von
Bahrt und Kompanie: est enim prorsus in-
credible, virum scientiis præsertim philosophicis imbutum, & multo magis eminentem,
quemadmodum litteræ commendatitiae loquun-
tur, ea posse perspicua, & præclara dicere,
que Barthius contra Divinitatem Iesu Christi,
& speciatim de Evangelio S. Joannis & de sen-
su verborum hujus Evangelii, & singulariter
de sensu verborum primi capituli hujus Evange-

lii scripserat: omnia enim tam obscura sunt,
& saepe usque ad nauseam puerilia, ut ille cæ-
cus esse debeat, qui ea pro perspicuis habet,
& minus, quam puer, qui ea pro seriis agno-
scat.

Unum ergo istorum necessario verum est
vel

Gærtlerum illudere Barthio, & seftatori-
bus illius voluisse, proin & doctrinam Barthii
de Divinitate Jesu Christi contemptim habere,
vel

Gærtlerum cæcum, & puerο minorem
esse.

Hoc ultimum vero cum Persona, & factis
Gærtlari non concordat; itaque ad primum
membrum justa, & probata est conclusio.

Hanc conclusionem confirmat illud ver-
bum, *Companie*, qua consortes Barthii notare
voluit, sive amicos illius; hoc enim verbum
plerumque ad eos significandos adhibemus,
quos contemptum tractare volumus, atque pa-
rem certe illi significationem tribuimus, quam
voci: *Consorten*: in pari causa subjecere sole-
mus, quæ plerumque vili pensionem exprimit.
Exemplum habemus in Epistola Brunneri ita
scribentis: Ich sehe zum voraus, daß Sie mit
mir einig sind, der Illuminatism (gereinigt von
seinen schädlichen Auswüchsen, und dem Bedürf-
nisse der Zeit angepaßt) werde den Machinationen
des Despotismus, der Jesuiten und Konso-
rten den kräftigsten Widerstand leisten. Hæc
vox: *Consorten*: certe nullam honoris signifi-
cationem, sed potius contemptum tum Jesui-
tarum, tum amicorum illius in sensu Brunneri
exprim-

exprimit. Idem ergo de illo verbo: Companie: in epistola Gærtleri sentiendum est: id quod adhuc inde confirmatur, quod hæc eadem vox a gallica lingua translata ad nostram in pari causa, nimurum ad significandam contemptionem ab iisdem adhiberi soleat; sic hodie dum passim scribunt; Barrere, & sa Companie: atque hac voce amicos prioris pari sceleri contaminatos significare volunt. Ut illud prætermittamus, Prædicatorem satis acute grandem collatoribus errorem, & ingentem defetum perspicacie obiicere, dum perversum ordinem notat, quem illi collatores in suis collationibus sequuntur.

Itaque in ipsa epistola signa satis manifesta occurunt, scriptorem ironice, sive satyrice locutum suis, tam de Barthio, & sectatoribus illius, quam de auctoribus collationum Francofordensium, quos in numero amicorum Barthii collocasse videtur.

4. Denique omnem suspicionem, si qua supereret, tollit, & conficit declaratio scriptoris deposita coram illis, quibus inquisitio præsentis causæ commissa fuerat.

Etsi enim universim quælibet expositio scriptoris contra communem usum verborum admittenda non sit, & arbitraria, & recepto verborum sensu adversa interpretatio accusatum non purget; negari tamen non potest, perspecta ambiguitate sensus verborum primam interpretationem ad auctorem eujuslibet scriptiunculae pertinere, eamque tamdiu reprobari non posse, quamdiu ex aliis fundamentis contrarium certo non constat, imo eam interpretationem ab omni mala suspicione liberare, si in-

.9

ter-

ra sunt,
ille cæ-
s habet,
s agno-
rum est
ctatori-
Barthii
habere,

inorem
x factis
primum
o.

ad ver-
notare
verbum
bemus,
que pa-
quam
re sole-
exprimit.

neri ita
Sie mit
igt von
Bedürf-
nationen
n so v-

Hæc
signifi-
i Jesui-
runneri
expri-

terpres verborum suorum tanquam vir compareat veritatis amans, atque de nulla falsitate convictus. Cum ergo in tota summa actorum ne leve quidem indicium occurrat cuiusdam falsitatis seu mendacii jam antea a Gærtlero commissi; juste declaratio illius pro vera habetur, atque ab omnibus tanquam vera haberri debet; sive, quod idem est, quilibet censere debet propter declarationem Canonici, epistolam in sensu ironico scriptam fuisse; præsertim cum priores rationes satis manifeste probent, eodem in sensu tenorem epistola accipi debere.

Ergo, ut ad illud, quod ab initio nostræ responsonis positum est, revertamur, potest,
& debet Epistola Gærtleri in sensu ironico accipi:

ergo recte judicatur, Epistola Gærtleri in sensu ironico ab auctore illius scripta fuisse.

Antequam vero ad examen & decisionem secundæ quæstionis transeamus; arbitror e re, ut illas quæstiones subjungam, quarum definitio a decisione primæ quæstionis dependet, & velut corollarium inde consequitur; & quos Auctor illarum quæstionum creditit singulares, & absque tam arcto nexu cum prima quæstione, aut saltem in ea contentas non esse. Sic ex dictis

i. Plana est responsio ad quæstionem primam: quo pacto tenor adjuncti superioris sub Litt. A., prout jacet, sive in sensu, quem præfert; proprio, ac litterali consideratus secundum principia dogmatico - theologica dijudicandus, & qua censura notandus sit?

Quip-

Quippe ex toto examine quæstionis constat, tenorem epistolæ in sensu ironico accipiendum esse, proin sensum quoque litteralem, ac proprium ironiam esse, atque ut ironiam secundum principia Evangelii dijudicandam, proin nulli censuræ subiectam esse.

Itaque hæc quæstio sua sponte corruit — evanescit — et sic nulla responsonie indiget. Aliud esset, si sermo foret de propositionibus epistolæ, exclusa omni ironia; at enim sic quæstio ab eo sine aberrat, ad quem tota inquisitio spectat; hic enim est detegere, quem sensum propositiones secundum mentem scriptoris habeant. Præterea cuique perspectum esse debet; propositiones, præsertim illam — dieſe (die Gottheit J. C.) follten sie lieber anz packen — impiam, antichristianam, blasphemam esse, exclusa ironia, atque in scriptore eam perversissimam opinionem supponere, quod Jesus Christus non sit Deus, proin manifestissimum characterem esse Socinianismi, aut novi Arianismi, proin omnem eam censuram, omnem illam notam in auctorem epistolæ cadere, quæ Soc. aut Arianos. perstringit.

2. Plana est responſio ad quæſt. 2. — —

Tot enim argumenta produximus ad comp̄obandam ironiam scriptoris, ut legali, et justæ suspicioi hæreticæ pravitatis præsertim super Articulo de Divinitate J. C. nullus sit locus; eas præterea rationes, ex quibus forte posset nasci suspicio, ita in primo membro nostra probationis dissipavimus, ut ne umbra quidem supersit.

§ 2

3. Pla-

3. Plana est responsio ad 3. Qu. — —

Cum enim Canonicus, et Prædictor Gærtler iisdem prope rationibus pro se pugnaverit, quibus supra omnem ab eo suspicionem pravi animi absterimus; sua sponte consequitur, responsiones hujus viri eum ipsum effectum sortiri debere, quem rationes velut Causa secum ferunt.

4. Plana est responsio ad Qu. 4. — —

Sic enim speciatim ex illis rationibus constat, atque citra ulteriora non solum admitti potest, verum etiam debet, Prædicatorem præfatum suam hanc epistolam non nisi in sensu *improprio*, nempe non nisi ironico satyrico exarasse. Quamquam in hac ipsa quæstione aliquid occurrat, ex quo intelligitur, Auctorem quæstionum virum esse non satis imbutum regulis hermeneuticæ, et ignorare, etiam sensum ironicum — satyricum posse aliquando — sensum proprium scripturæ — verborum — esse. Præterea nemo tam facile divinaverit, quomodo hæc quæstio a priori differat, et ut diversa proponi potuerit.

5. Plana est responsio ad Qu. 5. — —

Quod si enim gravissimis ex rationibus cognitum, perspectumque est, auctorem Epistolæ ironice perstringere voluisse scripta collatorum Francosordensium; tunc profecto aliud hujus ironiæ finem habere non potuit, quam ut vel illi, ad quem scriperat, occultos hostes Divinitatis detegeret, vel ei sua desuper sensa communicaret, atque hac ratione ostenderet, quid ipse de ejusmodi scriptoribus sentiret.

tiret. Itaque Canonicus geminum potuit finem habere, vel cunicularios hostes Divinitatis Brunnero monstrandi, vel si Brunnerus eos jam ut tales cognoverat, quemadmodum de isto viro prudenter concicere possumus, Brunnero significandi, quid ipsem Canonicus de illis compilatoribus sentiret. Itaque stylus ironico — satyricus illi fini, quem Auctor epistolæ in suis responsionibus indicavit, satis accomodus erat, præsertim spectata Persona illius, ad quem ea epistola destinata fuit. Sic autem

6. Plana est responsio ad Qu. 6.

Ils quippe perpensis, quæ supra in probationibus attulimus, necesse non fuit, aliud præter ea, quæ dedit, indicium animi ironice scriptoris dare, præcipue cum ille, ad quem destinata fuerat epistola, velut vir acrioris ingenii perfacile mentem scriptoris assequi potuerit.

7. Satis quoque ex dictis appareat, quid ad septimam quæstionem respondendum sit, quamquam ea cum principali quæstione tam arcte non cohæreat. Sic verum est SS. Patros, et nominatim Hieronymum, et Augustinum persæpe ironia usos fuisse, et quidem eo fine, quem ironia ex mente Scriptorum habere solet, ut sic perversitas, et infirmitas opinionis, seu doctrinæ ex joco, sale, et irrisione sui tanto manifestius appareat. Atque hunc ipsum ironiæ finem Gærtlero fuisse, is ipse velut Auctor epistolæ declaravit, licet sine omni declaratione is ipse finis intellectus fuisset. Hoc in fine igitur ironiæ Patrum, cum ironia Prædica-

dicatoris convenient; atque ad hanc paritatem Gærtlerus in suis responsionibus appellabat. In reliquis autem non concordant, neque hanc concordiam Prædicator Canonicus affirmabat; neque mirum est, quod non concordent. Ut enim illud prætereamus, pæne singularem esse stylum, ex quo ipsum scripturæ discrimen natura consequitur; illud profecto prætermittendum non est, Canonicum suam epistolam ad unicum virum litterarum nostri temporis apprime gnarum, non vero per publicum prælum ad quoslibet lectors destinasse, cuius contrarium in scriptis SS. Patrum observamus. Itaque hi majori sollicitudine præcavere debebant, ne forte ironia male intelligeretur, ac Canonicus prædicator, qui suam epistolam ad unicum virum direxerat. In hac ergo cautione discrimen est, siquod est, inter ironias SS. Patrum, et ironiam Canonici, quod tamen discrimen rei, de qua agitur, non obest, neque veritati responsionis quidquam detrahit. Sic

8. Plana est responsio ad Qu. 8.

Nihil enim Adjuncta Personarum, de quibus in hac quæstione mentio occurrit, nobis exhibent, quo minus responsio velut verissima censeri queat; uti in probatione primi membra præclare commonistratum est; quippe nihil seu ex parte Canonici, seu ex parte Parochi occurrit, quo minus abunde satisfaciat responsio illius ad Punct. 2. Quod si enim Parochus revera ille est, quemadmodum §. 3. describitur; profecto persicile intelligitur, ita ab eo Epistolam Canonici acceptam fuisse, sicut ab Auctore

Auctore illius scripta fuerat; nimirum in sensu ironico, qua de re etiam unice Parochus testari potest. Præterea hæc Epistola ex mente Auctoris publicanda non fuit; proin aliorum judicium interpellandum non est, quo scilicet modo, et sensu ipsi intelligent: epistola enim res duorum est; atque idcirco ad hos unice pertinet de illius vero sensu testari.

9. Plana est responsio ad Qu. 9.

Qui enim potestatem ferendi leges in Ecclesia agnoscit, et quidem plenam, perfectamque sive veram potestatem; ille necessario jam antea admittere debet potestatem sine errore judicandi; et, quod consequitur, negare præcipuum dogma Ecclesiae de Divinitate J. C. non potest. Itaque Canonicus recte ad aliam epistolam velut irrefragabilem testem suæ orthodoxiæ appellavit, si in ea potestatem ferendi leges Ecclesiae concessit. Atque hac dæ re vix dubitari potest, si illa epistola perlegatur: ibi enim contendit, illa explicatione Mendelsohnii accepta, ultro veram potestatem ferendi leges in Ecclesia probari non posse, atque idcirco hanc ipsam explicationem reprobatur. Et cur, quæso! eam reprobaverit? cur non potius ambabus, ut ajunt, manibus amplexus fuerit, si veram potestatem legislatoriam in Ecclesia negasset; quam bene hæc explicatio secundum principia Mendelsohnii ad eam subdole evertendam profuisset.

Illud autem ridiculum, et intolerabile, quod in fine hujus quæstionis additum est, an nimirum inde nullum possit argumentum erui, Canonicum Gærtler in suis ad Brunnerum literis

ritatem
ellabat.
neque
s affir-
concor-
ne sin-
cripturæ
rofecto
a suam
nôstri
publi-
tinasse,
obser-
præca-
tellige-
am epi-
In hac
, inter
i, quod
a obest,
etrahit.

de qui-
nobis
erissima
membrí
e nihil
Parochi
respon-
arochus
describi-
a ab eo
icut ab
Auctore

teris, quandoconque de rebus sacris aut ecclesiasticis loquitur, nunquam ironice scripsisse; qui enim vel mediocre habet commercium litterarum, is profecto ignorare non potest, epistolas pro varietate argumenti, genii, temporum &c. &c. varias esse, atque res modo serio, modo jocose, modo ironice, nunc graviter, nunc leviter tractari, atque nihil absurdius esse, quam ex stylo unius epistolæ, ad stylum omnium epistolarum, aut, quod adhuc magis ineptum, ex constructione unius epistolæ ad contractam consuetudinem similis constructionis concludere velle; ita enim auctor quæstionum videtur argumentari.

Canonicus in illa epistola ad Brunnerum de potestate legislatoria Ecclesiae serio, non ironice scripsit: ergo nunquam ad eum ironice scripsit; ergo etiam non in illa epistola, ubi de Divinitate Iesu Ch. scribit. Quæsto! quis sine rubore ita concludat? Quis simile argumentum fine risu auditorum proponat?

10. Plana est responsio ad Qu. 10.

Cum enim epistola unice ad Parochum destinata fuerit, exclusis aliis lectoribus; profecto nullum, nisi forte remotissimum, periculum fuit dignandi scandali, pro illis nimis circumstantiis, ubi epistola in manus incideret hominis omni eruditione, et institutione carentis, sive, uno verbo *hominis plebeji*, qui nihil de usu ironiae in scribendis epistolis sciret. At enim remotissimum periculum nemo mortalium curare tenetur. Si autem forte ex inventis postmodum litteris, et divulgato argumento earum aliqua offensio nata fuit; ea

Can-

ecclesiæ; m litteræ, epistola, tempore se- cunctis; c gra- il ab- tolæ, d ad- unius similis m au- erum non iro- stola, ueso! le ar- ochum pro- peri- nimi- us in- tuitio- plebeji, istolis nemo parte ex- to ar- it; ea Cano-

Canonicæ scriptori adscribi non potest, sed jure illis adscribitur, qui epistolam inter reliqua scripta Brunneri detexerunt, et argumentum illius male intelligentes, finistrum perversum sensum scripturæ divulgarunt: ad eos reparatio scandali, et honoris, cuius jacturam Canonicas passus fuerat, pertinet.

Præterea cum Canonicus simili modo ad dubia puncto tertio proposita responderit, apparet; omnes ratiunculas, quibus in contrarium pugnabatur, ab eo plene dissipatas fuisse.

Nunc examen secundæ quæstionis succedit, quod tamen per breve futurum esse satis priora commonstrant. Est autem hæc

Secunda Quæstio:

Si in sensu ironico epistola scripta non fuit, quam censuram mereatur tenor epistolæ, et quam panam auctor illius?

Hæc quæstio duo membra complectitur, quorum primum de censura propositiōnis, alterum de poena auctoris agit. Utrumque membrum conditioni subjectum est, de qua, quid sentiendum sit, examen primæ quæstionis quam disertissime exposuit. At enim forte nihilominus quæritur (quamquam nulla hujus quæstionis postmodum causa superfit) quam censuram mereatur tenor epistolæ, si statuatur, eam in sensu ironico scriptam non fuisse, et si hoc ultro pro vero haberi non possit.

§ 5

Sic

Sic autem facilis, et expedita est respon-
sio: illam propositionem: wenn werden sie
dann an die Gottheit Christi kommen? Die-
se sollten sic lieber gleich anpa-
cken (de hac enim præcipue agitur) impian-
esse, atque blasphemam, velut adhortantem,
et instigantem alios, ut Divinitatem Jesu Chri-
sti impugnent, atque hac ratione illi existi-
mationem, honorem, gloriam, cultum, et ado-
rationem auferant — imminuant, quæ ei ut
Deo debetur, et actu desertur. Atque mani-
festatio talis propositionis manifestum signum
est, proferentem eos ipsos errores fovent,
quos vel Ariani, vel Sociniani fovent, aut
omnino cum hostibus revelatæ religionis sen-
tire, et ne divinam quidem missionem Jesu
Christi admittere; ex quo sua sponte conse-
quitur, hanc propositionem, quatenus pro fun-
damento aliam habet, et unice sequi potest
ex hac propositione; *Christus non est Deus, aut*
omnino Christus ne divinus quidem Legatus est:
esse vel Arianam; vel Socinianam — proin
haereticam vel omnino antichristianam, et thei-
sticam, et idcirco auctorem illius, vel Aria-
nnum, vel Socinianum, vel omnino Theistam
esse. Ita vero similiter responsio ad alterum
membrum quæstionis apparet, quam poenam
auctor mereatur exclusa ironia: nimirum aucto-
rem subjacere omnibus illis poenis quæ seu ju-
re Canonico, seu civili in haereticos, et hostes
revelatæ religionis statutæ sunt. At enim ul-
terior disquisitio hujus argumenti pro hoc sin-
gulari casu omni fine caret; cum responsio ad
primam quæstionem, et rationes ibidem pro-
ductæ quam apertissime commonstrent, Cano-
nicum Cærtler neque pro hoste revelatæ reli-
gionis,

gionis, neque pro hæretico haberi posse. Illud unum forte videbitur reliquum esse, an Auctor epistolæ nullam priorem suspicionem hæreticæ pravitatis contraxerit, cuius abstercionem seu eluitionem Episcopus petere possit ope eorum, quæ a jure canonico præscripta sunt, et præcipue — singulatiter — ope Professionis fidei, quam Tridentina Synodus pro suspectis in fide personis atque officio publico fungentibus præscribit. Id quod recte negatur, cum et suspicio levissima sit, (immo, nulla;) neque ex culpa prædicatoris longius serperit, atque omnis rumor bonæ famæ prædicatoris aduersus *ex iniquo, et inhumano facto Episcopi* *) ortus fuerit.

*) Heil den Männern, die die Wahrheit, sie mag treffen wen sie will, so frei heraus sagen. (Vergl. §. 3. des nachstehenden jurid. Gutachtens.)

Bes